DISSERTATIO INAUGURALIS SISTENS NONNULLA DE FEBRIBUS...

Francesco Piccinali

Dissertatio Inauguralis

SISTENS

NONNULLA

DE FEBRIBUS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

ASSEQUENDAM

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PROPONIT

PICCINALI FRANCISCUS

VERONENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVIII

Quamquam agri spectantur in quibus summi viri segetes collegere superbas, in ipsis tamen medicinae cultor manere minime indignari debet novas timens non invenire fruges, cum jam experientia notum sit, fuisse aliquando incultas et oblitas plantas quae postmodum nobili sudore illustrium virorum nutritae in publicam utilitatem cesserunt. Artes adauctae et scientiae mutuo inter se ipsas commodarunt auxilium, hinc tam utiles detectiones quae id invenerunt, quod olim non modo difficile, verum etiam quod humani ingenii vires exuperare videbatur. Vobis non indignum sit, si novus ego hygieae artis alumnus, quaedam de febribus hac faustissima die meae tenuis sermocinationis objectum efficio, non ut novos vobis flores ostendam, mihi enim multum est, quod alii fecere, admirari.

Febris nomine designatur morbus, qui frigore, calore dehinc, pulsu concitato, caenestesi alienata, lassitudine singulari totius corporis, secretionum atque excretionum turbis manifestatur; antiquissimis quidem medicis notus, cujus nomen alii a ferbeo, seu ferveo; alii vero a febrno, sive expio vel purgo, derivatum volunt.

Prior derivatio communiori veterum medicorum opinioni respondet, qui calorem dixerunt febris essentiam; et pyrexiae quidem nomen apud veteres Graecos usurpatur, quia πυρ graece ignem significat. Posterior vero multis arrisit, quia per febrim saepe repurgatur corpus. Sidenhamus febrim vocavit. « Naturae instrumentum quo partes impurae a puris secernuntur » (Sect. I. Cap. IV. pag. 72.).

Sicuti febris naturam cognoscere adeo difficile visum fuit omnibus antiquis, ita et apud recentiores nil quam hypotheses invenire est, adeo ut veritas non modo lateat, sed quodammodo obscurata, et quod in natura erat, vanis opinionum commentis ab eadem deflexerint. Quare ego potius quam in theoriae praeceptis, in phaenomenis quae febres in hominum natura portendunt sistam gradum.

Ingens est numerus symptomatum quae

plerumque febris comitatur, ex quibus illa sola eligere statui hic pertractanda, quae omni febri semper adsunt, et sine quibus hominem a febri immunem esse judicamus. Longum foret enim opus si de animi morositate, taedio, torpore, rerum oblivione, capitis artuumque gravedine, oscitatione, debilitate universali, praecordiorum molestia, tremore, anxietate, siti, nausea, ructu et flatu, vomitu aliisque symptomatibus, quae in febre contingere possunt, sermonem habere voluissem. Itaque frigus, calorem ac pulsuum vicissitudines inter praecipua et necessaria febris phaenomena connumerabo. Variant autem gradu haec tria praecipua febris phaenomena pro diversa indole febris ipsius, uti etiam pro varia aegrotantium aetate, constitutione, temperamento, sexu, consuetudine et ceteris; sic ex. gr. febris quartanarii typi si senem corripuerit, eum tam valido frigore opprimit, ut totum corpus marmoris ad instar rigeat; e contra si eadem febris eodem anni tempore vegetum juvenem invaserit, is leve frigus in paroxysmo passus est.

Frigus peculiaris illa sensatio est, ex imminuto corporis nostri calore procedens. Variat haec sensatio quoad intensitatem, extensio-

nem ac durationem, quae a diversitate subjecti, ab indole febris, et ceteris pendent. Nunc simplici horripilatione se se prodit, nunc intenso horrore, quandoque et algore. Quoad durationem vel per aliqua minuta, vel per horas in quibusdam intermittentibus perdurare solet. Per totum effunditur corpus vel aequabiliter vel non. Frigus primum signum est quod homines febricitaturi sentiunt, quod cum horripilationibus, incipit ut mox totum corpus concutiatur et contremiscat. Plerumque externa corporis frigent, et inprimis extremitates; rarius in corporis interioribus frigus percipitur, dum in externa cute solitus calor naturalis manet. In pessimis aliquando morbis febrilibus summus ardor circa praecordia sentitur et internis visceribus, dum valde externa frigent; hoc speciatim videre est in inflammationibus parenchymatosis, et hoc in casu frigus mali ominis est, monente ipso Hippocrate, « ubi frigus ibi malum ». Adventante frigore a capite incipiente, per dorsalem regionem et abdomen progrediente, cutis pallescit, contrahitur, arida, anserina fit, rigescit; ungues albescunt, livent; contrahuntur venae minusque visibiles evadunt; tremor universalis adest; conquassantur dentes; respiratio

inaequalis, tussiculosa, difficilis et auxia redditur; gravedo capitis; debilitas universalis; concutit valde cor; pulsus contractus et durus; nausea, vomitus, alvi stipticitas; urinas pallidae, aquosae. Frigus aliquando ab aegroto percipitur, et nos quoque per thermometrum illud metiri possumus; aliquando vero latet interius, dum externe calor ingens vel naturalis partes corporis occupat, ita ut aegrotus solus illud percipiat, nobis contrarium specie tenus comprobantibus. Sed quaenam est frigoris febrilis causa? Quare intentior vel mitior est? Quare alternis diebus in intermittentibus renovatur? Quidquid de febris natura scimus, illud per effecta et attributa ejus inseparabilis cognoscimus, hypotheses sunt enim omnes quas de his a variis auctoribus proferuntur. Hoc tamen certum, est quod frigus imminuti caloris sensatio est, quis causae calorem efficientes tunc temporis imminutas sunt, et specistim sanguinis circulatio. Hoc enim tempore sanguis ad interiora propellitur, ibique congestiones efficit, glandularum et viscerum obstructiones, capitis, pulmonum, cordis vasorumque majorum oppletionem; in cavis corporis stagnationem et multiplices nervorum affectiones, speciatim dolorificas.

Ex mox dictis consequitur, frigus febrile symptoma esse summi momenti; ex hujus duratione, intensitate et extensione in febribus prognosis plus minusve tuta enuncianda est. Quo majus initio frigus et quo longius perdurat, eo periculosius est, propter imminutam periphericam circulationem variae internae laesiones oriri possunt, et quidem mors ipsa. In nostro Clinico medico superiori anno MDCCCXXXV-VI casum habuimus febris intermittentis fricodes cum catarrheumate et psoriasi in homine mediae aetatis, rustico, et qui in stadio frigoris febrilis periit. Cum ex modo dictis constet, frigoris febrilis tempore motum circulatorium imminutum esse, fuerunt qui stimulantibus abusi sunt; sed vidimus, quod tunc temporis congestiones, infarctus et alia adsunt, quae cum stimulantibus nimis augerentur; juvat hic potius teporem lecti augere, linteaminibus calidis aegrum tegere; sublevant quidem frictiones et fomenta calida, interne autem aqua tepida cum oxymelle, cum pauca acetatis ammoniae solutae dosi; ubi vero debilitas urget, quidem aromatica magis et stimulantia conveniunt, sensim sensimque a minoribus ad majora transeundo.

Post frigus calor una cum sanguine ad ex-

terna corporis pervenit. Calor aeque vel universalis vel partialis est, vel internus vel externus, vel mitis vel mordax digitosque urens. Pro diversa febris indole febrilis calor intensitate, duratione, loco differt. Ephemera febris blandum calorem, longe intentiorem putrida. In intermittentibus paucis horis durat; in continuis symptomaticis ex. gr. becticis per plures saepe menses calor ille corpus exsiccat et depascitur. In stadio caloris frequentiores redduntur pulsus, aequaliores, liberiores; caput calet et dolet; genae rubore intenso, oculi splendore fulgent; sitis augetur; respiratio liberior et expeditior evadit; urinae paucae, rubrae, flammeae, bruneae, jumentosae et turbidae. Calor adeo assiduum in febribus symptoma invenitur, ut febris naturam in calore posuerit Galenus, dicendo febrim minime adesse, nisi et cor generalis caloris particeps sit; et Fernelius qui asserit esse febrim abnormem caloram qui e corde per totum effunditur corpus; et Celsus ajendo symptomata febrium praecipua in esse aestu venarumque pulsationa sita. In homine sano calor adest et quidem determinato gradu, quem juxta recentiores Physiologos a vigesimonono usque ad trigesimum quartum thermometri Reaumu-

riani, aut a nonagesimo sexto usque ad centemum Fahrenhit ascendere cognoscitur sive in rigidissimis, sive ferventissimis terrae regionibus. Calor autem febrilis plus minusve calorem illum excedit. Calor et in externa corporis superficie percipitur, atque pariter in intimis corporis recessibus adest; semper vero in interioribus major est, quia exteriorum partium calor ab ambiente aere, qui nostro corpore frigidior est, minuitur. Quomodo calor febrilis generatur, innumerae sane a medicaa artis initiis hypotheses excogitatae fuere ad causas explicandas quae illum gignunt servantque. Abstrusa adhuc visa fuit caloris origo veteribus medicis, unde dixit Hippocrates esse innatum principium una cum anima immortali. Post Asclepiadem illum ab attritu derivabant. In posterum a respiratione, a nutritione, a musculari contractione, a sanguine arterioso; clarissimus Hildebrand, quem multi alii secuti sunt, in systemata capillari ejus originem posuit. Inutile est hic innumera argumenta referre, quibus defenduntur singulae opiniones; solnm jure concludi liceat nervis maximam coucedi vim in ipsius productione phaenomenorum, quod quidem ex eo patet quod in animalibus cerebro de-

stitutis frigus perpetuum adest, sicque pariter in ipsis aegrotantibus sensationes frigoris adsunt dum calent uruntque. Calor febricitantium augmento et imminutione peccat. Augmentatur in secunda febris periodo, et magis extollitur si febris symptomatica sit inflammationis parenchymatosae visceris cujuscumque, ut cerebri, pulmonum, hepatis, lienis, cordis et aliorum. Aestus evehitur, vel externe corpori, vel interne, vel per universum corpus, vel localitati cuidam adstrictus. Externo attactu calor externus febricitantium percipi potest, sed minus exacte quam per thermoscopium, quo prius mensuratur calor hominis sani; et hoc cognito quantum calor febrilis prae sano et naturali excedat, apparebit. Hoc tantum modo cognoscitur calor externae superficiei corporis, aut oris interni, quae partes liberum cum aere externo commercium habent, adeòque minus calent partibus internis. Si partes internae uruntur, talem calorem adesse novimus ex sensu aegrotorum, qui in funestissimis illis morbis de intolerabili ardore conqueri solent. Ex rubore urinae alternm interni caloris signum in febricitantibus habetur; color intensior esse solet ruber; experientia quidem confirmat

qnod aucto calore corporis augeatur urinae rubedo; insuper in calidis et robustis individuis longa coloratior urina est, quam in dabilibus frigidisque; itidem si quis valido labore corpus exercuerit. Quoad caloris prognosim, quo altiorem gradum attigerit, at quo longius durat, eo periculosior est, speciatim si in febrilibus acutis morbis hoc accidat et in debilibus individuis; phaenomenorum enim exasperatio contingit, circulationem, secretiones et excretiones, et crises perturbat. Si modicus fuerit, optandum virinm statum salutaremque reactionem praenunciat, fluiditatem auget, circulationem perfectiorem liberioremque reddit, irritabilitatem atque sensibilitatem cujusvis partis propriam conservat. Universale caloris augmentum generatim majorem affert utilitatem, quam qui ad aliquam solummodo partem extenditur. Calor partialis ipse est qui vehementem indicat irritationem, et si excedens fuerit, de exitu infausto pertimescendum erit. Qnoad curationem cum caloris origo nondnm bene pateat, da causa agenti nil dicere possumus, nisi quod cum sanguinis aliorumque humorum circuitus caloris genesi valde faveat atque nervosus influxus, carte refrigerantia blanda et pacantia

conveniunt; potus acidi commendantur, et quidem copiosa quantitate sumendi cum salibus quibusdam refrigerantibus quae et validam sitim compescunt. Ipse medicinae pater Hippocrates in febribus aut bibendum aut moriendum esse, ajebat. Clysmata emollientia, leniter evacuantia, fomenta aeque frigida, praecipue ubi ad locum quemdam calor evectus sit.

Pulsus peculiari ratione in febri se habet, ut febrilis rite nuncupari mereatur. Pulsus naturali frequentior est in febri, tam sub frigore, quam sub ipso calore. Interdum celeritate magis quam frequentia aucta arteriae micant. Rarius pacatus et lentus pulsus quibusdam in febribus observatur. Quandoque nullum in pulsu judicium febris habetur, ut in perniciosa intermittente. Sed inter communia febris symptomata pulsus celer semper adest a primo febris insultu ad finem usque, sive frigus, sive calor adsit. Vulgaris quidem agyrtarum consuetudo est ad febrim detegendam tangere prius pulsum. Pulsus ipse prognosim et curam modificare potest. Quo magis suppressi sunt pulsus et parvi et contracti, eo periculosiores, aeque ac pulsus duri et magis evoluti. Merito quis adfuit qui febris cordis morbum

vocavit, eo ductus, quod in omni febre pulsus velox et celer est, cum pulsus e contractione et relaxatione fibrarum muscularium cordis et arteriarum originem habeat.

De his solum symptomatibus quaedam dixi in hac infirmitate e medicinae initio jam nota, et in qua tot summi viri cogitarunt, quaeque adhucdum densisimis obvelata tenebris est; hoc tamen nobis magis magisque animum addere debet, ut studio et labore assiduo unicam assequi possimus veritatis metam; quod si utile hoc in omni scientia, disciplina, vel arte est, utilissimum certe in ea esse tenetur, ad quam pertinet praecipue hominum tueri salutem.

THESES

I.
Febris stricto sensu localis non datur.

II.
Febrium intermittentia a gangliorum exaltata functione procedit.

III.
Quia dantur morbi cordis in brutis, concludo his animi pathemata influant.

IV.
Pharmaca non agunt dynamice solum.

V.
Devicta Venere, victor et ipse mercurius, a viribus chymico-dynamicis a corpore eliminatur.

VI.
Hydrargirosis non ex dosi assumpti mercurii dependet, sed a peculiari aegrotantis idiosyncrasia.

VII.
Sympathia et antipathia phaenomena atractionis universalis et chymico-vitalis adfinitatis.

VIII.

Animi pathemata, spiritnosorum abnsus et mercurialia in circulatione primitus agunt.

IX.

Si graviditas, partus et puerperium abnormiter decurrunt, ubi dispositio adsit, febris puerperalis habetur.

X.

Fetus unicam sistit causam partus.